



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gavdendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1664

Prooemivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

TRACTATUS XV.

Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum; & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. *Sap. 3.*

Beati mortui qui in Domino moriuntur à modo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis. *Apoc. 14.*

Ostenditur quod is qui statu suo contentus est, etiam morti, & mortis hora, & mortis modo penitus debeat acquiescere & letus mori.

P R O O E M I V M.



AD vada tandem, dum litus legimus, latentefque syrtes impacta est ratis. Hic desinendum est facto naufragio. Totum iam Diuinæ Providentiæ pelagus emensi, propiora terræ littora dum radimus humanis intenti rebus, scopulis licet cunctis benè feliciterque superatis, ecce tibi in arenas conijcitur incauti; navis sentinam trahit, fatiscit carina, dehiscunt latera, tota ratis machina dissoluitur, & in partes abit. Actum est; perimus. In arenâ, hoc est, in sepulchro stamus: & quod miserrimum est, nullum datur in hac arenâ consilium: Ergo moriendum est? video sanè. Fatiscente corpore *spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solum* Iob 17.
mihî superest sepulchrum.

Hic mihi iam videor, omnium vestrum vultus, animosque in diuersa mutatos aspiciere; & vt in communi naufragio fit, vi-
deo

deo plerofque mortis instantis memoriâ impallefcere, nec fatis fibi iam constare animos infractos metu. Quid, quod & in Nauarchum ipsum, sapientiffimum licet nauis directorem, fremat tumultu & mortis imminētis metu pallida infurgat nauatarum colluuiēs, omniaque vectores clamoribus repleant? Nauarchum impetunt, Nauarchum aecufant, Nauarchum depofcunt, oculisque in morte iam natantibes obliquè notant. An hæc est eius, nobis adeo commendata peritua? hæccine tota ars est, nauim in vada impingere; totumque pelagus feliciter emetiri, vt tandem in arenâ pereamus? huc denique omniâ confilia recidère, ad hoc tota composita est fabula, vt portus sepulchrum fit, & nauigationem omnem finiat naufragium, vitæque fabulam claudat mors? Quis ad ista non exhorreat? quis se pelago tam infausto securus credet? quis huic gubernatori se committat? denique quis latus nauiget, quem tam horridus portus manet?

Sed quæſo, quifquis es, Gubernatori conuitium ne fac, ſcio penitus eum nec in nauī dirigendâ erraſſe, nec verò errare potuiſſe. Hoc iam ſapius plaſum fecimus. An verò tam infelicitè nauigatum eſſe, tamque malè tecum actum exiſtimas, in partes diſtracta nauis quòd diſſilierit, cum nihil vterius enauigandum reſtaret? naufragium tu vocas, ampliùs nauigare nec debere, nec poſſe: hoc certè, ſi rectè rationem tenes, quietem voca. Arenam cui adhæres, ſepulchrum dum nominaſ, opinio nibus agitaris miſer: opinionem corripge, & quod ſepulchrum per inuidiam appellas, illico portum dicēs. Portum verò, & quidem tibi fortunatiſſimum cum credideris, Nauarchi induſtriam, quam metu nimio perterritus nunc ineuſas, ſummâ tuâ voluptatè admiraberis & adorabis. Dei itaque partes defendendas ſuſcipiamus, & detrahāmus morti laruam, quæ infantibus & ignaris merum facit.